







1756

1. Meulikus, Cornelius Benjamin: De oratore Romano . . .
Oratio.
2. Buder, Christiaan Gualter, Fac. jur. Decanus: De gratia
et obtinenda praebendarum doctorum academicis con-
cessis. Simulque Caroli Theophili Grammi solennia
inauguralia indit.
3. Buderus, Christiaan Gualter: Programma, ad Plebem
linam pastoralem de sententia et executione sine
de justis vicariis in imperio Romano singu-
lariter sic dicto "sub quo argumenta Grammi
Anthopleo Ruchii . . . Dissertationem in auz.
indit.
4. Buderus, Christiaan Gualter: De confortatione fandi
per alledia.
- 5916
= Oichmarus, Francus Wilhelmus: De coelivore et do-
natione nec indit hinc praebenda. 2 Imp.

1756.

6. Gramms, Cordus Theophilus: De supervacua delictorum
divisione in publica et privata mortuus nostris 11
7. Heimbürgus, Dr. Leg., Ord. Jus. Decanus: Programma:
De interventione principali anomala; Giel. Fried.
Kreidenmanni . . . dissertationi praemissum.
8. Heimbürgus, Dr. Leg., Tax. consull. Ord. Decanus: Programma:
De praescriptione immemoriali contra legem pro
hibentem valente; Fr. Antonii Schmidii . . .
inang. dissertationi . . . praemissum. 14
9. Heimbürgus, Dr. Leg.: De praescriptione ^{actionis} ~~extinctionis~~
pignoratitiae directae. 2 exempl. 15
10. Hülfeld, Dr. Augustus: De remediis legitimis a diversis
sententias praesertim in Augustissimi consilio Im-
periali Publico latis. 16

1756

11. Mueller, Joannes Steph.: Sententiae protestantium naturae doctorum de lege naturalis.
12. Schmid, Paul Wilhelm: De effectu pœnitentiæ et custodiae circa furtum illiusque pœnam, ad illustrandum artic. C.LXX Const. Cœm. Caroli V.
13. Schroeterus, Jo. Suetonius: De summo supplicio in loco ubi crimen perpetratum est.
14. Walchius, Jo. Sm. Joannes: De jure naturalis veterum Germanorum.
15. Wiersand, Georgius Stephanus: De Carolo Magno artium liberalem restauratore summo.
16. Wandolich, Joannes: De re litigiosa nec compensanda.

N

S

CA

3



DISSERTATIO IVRIDICA

DE

1756, 12
14

EFFECTV POSSESSIONIS
ET CVSTODIAE CIRCA FVRTVM
ILLIVSQVE POENAM, AD ILLVSTRAN-
DVM ARTICVL. CLXX. CONSTIT. CRIM.
CAROLI V.

QVAM

DIVINIS AVSPICIIIS

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE ET DOMINO

DOMINO

ERN. AVGVSTO CONSTANTINO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE
MONTIVM ANGARIAE WESTPHALIAE
RELIQVA

IN ACADEMIA IENENSI,

EX

DECRETO ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
PRO LOCO

IN FACVLTATE IVRIDICA

MORE MAIORVM OBTINENDO

AD DIEM XXX. OCTOBRIS A. O. R. MDCCCLVI.

PVBLCIE VENTILANDAM PROPONIT

PAVL. WILHELM. SCHMID, D.

INSTIT. PROF. PVBL. ORDIN. CVRIAE PROVINCIAL.
ET SCABINOR. COLLEGII ASSESSOR.

IENAE LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.





CONSPECTVS
DISSERTATIONIS.

<i>Furti definitio secundum ius hodiernum §. I.</i>	<i>actualis; adeoque istud committi potest a depositario, commodatario, nuntio, tutore, curatore et administratore §. VII. & VIII.</i>
<i>Furtum vsus et possessionis ignorant leges Germanorum antiquae §. II.</i>	<i>Eadem obtinent secundum ius Germanicum antiquum §. IX.</i>
<i>Et obseruantia fori hodierna §. III.</i>	<i>Nec obstant iura medii aevi. §. X.</i>
<i>In definitione furti quid significet vocabulum: Contrectare? §. IV.</i>	<i>Exponuntur variae interpretationes artic. 170. constit. crimin. Carol. §. XI.</i>
<i>Quid sint res alienae? §. V.</i>	<i>Eius genuinus sensus; tam quoad verba quam ex ratione et intentione legislatoris explicatur §. XII.</i>
<i>Quid indicetur per verbum: possidere, §. VI.</i>	
<i>Ad furtum verum ex mente iuris ciuilibus requiritur ablatio</i>	

<p><i>Idque ex verbo: Gläubiger, item: vertrauter Haab §. XIII.</i></p>	<p><i>Ad nuntios, tabelliones et aurigas §. XIX.</i></p>
<p><i>Deinde ex significatu vocis: gleich §. XIV.</i></p>	<p><i>Ad officiales et administratores publicos §. XX. et XXII.</i></p>
<p><i>Dubium ex artic. 162. C. C. C. defunctum remouetur §. XV.</i></p>	<p><i>Ad bonorum priuatorum administratores §. XXIII.</i></p>
<p><i>Deducitur ex praemissis, quod dictus articul. 170. omnibus, qui res alienas furtiue auferunt, poenam furti ordinariam infligi iubeat, nec ad possessionem vel custodiam respiciat, §. XVI.</i></p>	<p><i>Ad famulos et domesticos §. XXIV. Ad trituratores §. XXV. Ad res inuentas nec non thesauros occultantes et domino subtrahentes §. XXVI.</i></p>
<p><i> Applicatio ad speciales casus et quidem ad depositum §. XVII.</i></p>	<p><i>Ad eos, qui res ad haereditatem pertinentes, surripiunt §. XXVII. denique</i></p>
<p><i>Ad commodatum §. XVIII.</i></p>	<p><i>Ad eos, qui res debitas ipsi auferunt §. XXVIII.</i></p>



B. C. D.



B. C. D.

Communis fere et a plurimis recepta est sententia, quod ad furtum verum et in sensu proprio acceptum, requiratur, vt res e custodia atque possessione domini fuerit ablata, quodque quoties haec circumstantia deficiat, ad poenam, quam iura in fures ex regula statuunt, nunquam perueniri queat. Quoniam autem hanc opinionem nec cum conceptu furti genuino nec cum mente legum conuenire, mihi persuasum est, eam in praesenti scripto examinare, apud animum constitui. Vt vero iusto procedam ordine, ante omnia exponam curatam furti definitionem: deinde, quid iura Romana circa res, quae tunc temporis, quo surreptae sunt, in custodia et detentione furis extiterunt, statuunt, recensabo: postea, quid leges patriae, praecipue autem artic. CLXX. constitution: criminal. Caroli V. hac de re continant, explicabo: denique species quasdam furtorum huc pertinentes, iuxta doctrinas praemissas, examinabo, quidque iura et mores, quibus hodie utimur, circa singulas statuunt, stricim exponam.

A

§. I.

§. I.

Furtum, ex mente iuris hodierni est: *contrectatio fraudulenta rei alienae mobilis, lucri faciendi gratia, inuito domino, facta*. Addunt quidem Romani a.) verba: vel etiam usus et possessionis. At usus et possessionis interceptionem leges & mores Germanorum et antiqui b.) et hodierni c.) inter furta proprie talia minime referunt.

§. II.

Sunt equidem nonnulli, et inter hos b. Heinecius in element: iuris german. lib. II. tit. XIV. §. 32. qui vestigia furti usus atque possessionis in legibus Germanorum antiquissimis se inuenisse crediderunt, prouocantes potissimum ad leges Burgundionum tit. IV. lex 7. et 8. nec non ad leges Wisigothorum lib. V. tit. VI. l. 2. At, mea quidem sententia, frustra. Lex enim prior isti, qui equo, inscio et non permittente domino, utitur, certam multam, loco locarii pro singulis diebus praestandam, iniungit, furri autem reum istum minime dicit. Altera lex probanda ideo non probat, quia Wisigothorum leges Romanorum potius

a) in libr. Basilic. lib. LX. tit. XII. leg. 40. nec non § 6. instit. de oblig. quae ex del. l. 15. §. 1. l. 40. l. 54. pr. et §. 1. ff. de furtis. A. GELL. in noct. Artic. lib. VII. cap. XV. VAL. MAXIM. lib. VIII. cap. II. in fin.

b) ius. prouinc. Saxon. lib. III. art. tic. 22.

c) WILDVOGEL. dissert. de furt. impropr. cap. III. § 6. REINHARTH. dissert. de diuersa furti sec. ius ciu. et german. idea, §. 10. seq.

titus instituta, quam Germanorum expriment, et multis locis immiscent mores Romanorum. a.)

§. III.

Nec defunt ICTi germanici, qui ex usu quoque fori hodierno interceptionem usus ac possessionis furtis annumerant veris. b). Sed istos a recta aberrare via, inde patescit, quia Romani ad læsi satisfactionem priuatam potissimum respicientes, furta delictis priuatis adnumerabant et poena vt plurimum coercerant pecuniaria, Germani contra ad securitatem potius spectant publicam, quæ per inuasionem quidem rerum et personarum, non autem aequè per abusum rerum, vel vbi quis possessionem immobilium arripit, turbatur, et furta ad delicta referunt publica, poenam in eam capitalem aut aliam satis grauem dicentes. c.)

§. IV.

Hiscæ præmissis definitio furti, quatenus ad finem mihi propositum necesse, curatius inspicienda est. Primo loco occurrit vocabulum: *contrectare*, quod nunquam fere non accipitur nisi in malam partem, d.) proprie significat rem de loco in locum mouere vel

A 2

aufer-

a) IO. FRIED. POLAC in iurisprud. german. antiqu. lib. I cap. II. §. 5. b. BRUNQVELL. in histor. iur. P. I. cap. XV. §. IO. b. ENGAV. in elem. iur. german. dissert. prael. §. 6. b) PETR. MÜLLER. ad Stru. Exerc. XLVIII. aphor. XIX. not. et §. lab initio. RICHTER dissert. de furt. thes. 3. not. e. et f. c) REINHARTH. dict. dissert. de diu. furt. sec. ius ciu. et rom. idea §. 6. et 7. d) vid. SVETON. in Domitiano

auferre. a) intelligitur autem amotio, siue ablatio physica, mediante actu externo contingens, nec sola apprehensio vel attractio, licet cum proposito auferendi b.) coniuncta sit, sufficit. c) Contractatio enim moralis, quae nonnullis sub nomine fictae venit et quae potissimum fieri solet per consilium speciale, mandatum, auxilium, participationem lucri, receptionem & occultationem, d.) furtum in sensu proprio sumtum, non efficit. Sola itidem detentio, licet cum animo sibi habendi, modo res de loco in locum non transferatur, contractatio proprie vocari non potest. e) Hisque suppositis, cur nonnulli f) vocem: *contractare* e definitione furti exsculpere et eius loco vocem: *auferre* substituere velint, ego quidem non video.

§. V.

Porro furtum supponit, vt *surreptae* sint *res alienae*, per quas indicantur res, quarum dominium aut possessio ciuilis ad alium quam furem pertinent, id quod

- a) BARNAB. BRISSON. de V. S. voc. *contractare*. HVER. in praes. lect. ad institut. lib. IV. tit. I. n. 2. IO. VAN. DE WATER ad instit. dict. tit. in not. ad §. I. MATTAEI de criminib. ad tit. de furtis num. 4.
- b) solum animum auferendi hic sufficere putat de LYNCKER in analect. ad instit. lib. IV. tit. I. §. I. IO. HARPPRECHT ad dict. tit. institut. §. I. num. 5. LAVTERBACH in Colleg. theoret. pract. ad ff. tit. de furtis §. 26.
- c) l. 3. §. 18. ff. de acquir. vel amitt. possess. quam legem erudite et late exponit IOSEPH AVERRANIVS interpretat. iur. lib. I. cap. XXVII.
- d) celeb. BOEHMER. in elem. iurisprud. crim. lib. I. cap. II. §. 37. LAVTERBACH. in colleg. theor. pract. dict. loco §. 27. et 28.
- e) IOSEPH AVERRAN. dict. loc. num. 14. et 15.
- f) b. ENGAV. diss. de furto magno §. 1. not. **

quod verba quoque adiecta: *inuito domino* loquuntur et haec verba ad completum furti conceptum omnino necessaria sunt. a) Inde est, quod rerum, quae dominum non habent b.) et earum, quarum is ipse, qui res aufert, dominus vel verus vel putatius est, c.) furtum non fiat, licet is, qui rem suam propria autoritate amouet, secundum ius civile eius dominium amittat; d.) deinde quod earum rerum, quas quis alienas putat, quum tamen sint eiusdem propriae, e.) aut in quibus quis alteri ius quoddam, veluti: pignoris vel usus concessit, f.) furtum quidem possessionis et usus, at non furtum rei committatur.

§. VI.

Iam dispiciendum venit, quid sit possidere et quinam eius effectus circa diuersas species. *Possidere* est rem tenere cum animo sibi habendi, idque vel cum vel sine opinione dominii. Qui rem non tenet animo sibi habendi, sed, vt alteri per detentionem suam ministerium praebet, aut qui saltim eam seruandae vel custodiae causa tenet, vt sunt: nuntius,

A 3 pro-

a) STEPHAN. FORCATVLVS | pr. ff. de furt. quam legem eleganter
in necyomant. dialog. XXIX. num. I. | explicat AVERRAN. interpret. iur.
seq. | lib. I. cap. 27.

b) l. 43. §. 4. et 5. ff. de furtis | e) §. 1. instit. de vi honor. raptor,
LAUTERB. Colleg. theor. pract ad | ibique VINNIUS in commentar.

c) VIRGIL. PINGIZER quaest. | f) l. 12. §. 2. l. 19. §. 5. et 6. ff. de
Saxon. XIX. num. 24. HUBER praec- | furt. l. 4. §. 21. ff. de vlticap: PETR.
le §. ad instit. lib. IV. tit. I. num. 12. | MÜLLER: ad Struui, exercit. XLVIII.
d) §. 6. instit. de interdict. l. 48. | §. XLII. lit. d.

procurator, amicus, hospes, a) possidere non dicuntur, b) nec effectibus, ex iuris dispositione cum possessione coniunctis, gaudent. Qui rem tenet cum opinione dominii, is dicitur civiliter possidere, qui vero absque opinione dominii, vel absque titulo ad transferendum dominium habili, cum animo tamen sibi habendi, is naturaliter tantum possidet, c) siue, quod idem est: civiliter res tenentes, *possidere*, naturaliter vero, *in possessione esse*, dicuntur. d.) Civilis possessio sola est vera possessio, naturalis non aequae sed tantum est detentio quaedam. e) Huc referunt leges sequentes species et civilem ipsis minime tribuunt possessionem, nempe: usufructuarium, f) precario rem possidentem, g) depositarium, h) sequestrem i.) commodatarium, conductorem, k) mandatarium, l.) & possessorem pignoris. m.)

§. VII.

- a) GERHARDT. NOODT. in commentar. ad ff. tit. de haeredit. petit. pag. m. 176. HOTTOMANN. IX. cap. 33. circa fin. ad instit. tit. de interdicit. num. VII. pag. m. 510.
- b) l. 9. et 10. §. 1. ff. de acquir. vel amitt. possess.
- c) l. 2. §. 1. et 2. ff. pro hered. l. 12. pr. l. 24. ff. de acquir. vel amitt. possess. HOTTOMANN obseruat. lib. IX. cap. I. DOMIN. ARVMAEVS exerc. ad ff. disput. XX. thes. 7.
- d) l. 10. §. 1. ff. de acquir. possess. BARNAB. BRISSON: de V.S. voc. possidere.
- e) IO. YANNEZ PARLADOR. in quotid. different. XXVI. num. 1. et 2. IACOB. CVIAC. obseru. lib. IX. cap. 33. circa fin.
- f) l. 5. §. 1. ff. ad exhib. in verb. *quamuis nec hic*. (scil. usufructuarium) *trique possideat*. l. 12. pr. ff. de acquir. vel amitt. possess.
- g) l. 6. §. 2. ff. de precar.
- h) Basilicon lib. LX. tit. 12. l. 14. §. 3. et 4.
- i) GOEDDEVS de] sequestrat. cap. I. axiom. I. num. 115.
- k) l. 9. de R. V.
- l) Basilic. dicto loc. l. 8. et 9.
- m) CVIAC. obs. lib. IX. cap. 33.

§. VII.

Inde facile colligi posse puto, omnes, quos praecedenti enumeravimus §vo, si abstrahamus a furto vsus et possessionis, furtum non committere proprium, nisi accedat contrectatio, siue actualis ablatio. Speciatim depositarius, in quem sola custodia, non autem possessio civilis transfertur, a.) vbi rem depositam inficiatur, furtum non facit, b.) nisi improprium; proprium autem, si rem depositam aufert. Idem dicendum de re commodata, quae vbi actu surrepta fuit, verum, c.) si vero commodatarius ista tantum vsus fuerit, furtum vsus est commissum. d.) Quod autem dominus rem alteri commodatam, locatam aut depositam auferens furtum rei minime faciat, extra dubium positum est. e.) Nec aliter leges Romanorum statuunt circa nuntios, aurigas vel eiusdem generis alios. Hi enim quando vel pecuniam vel res ipsis commissas interuertunt, furti reifunt. f.)

§. VIII.

Porro, quod tutores adinet atque curatores, hi quoties res pupillares furandi animo amouent, furtum faciunt, g.) nec, quod administratio et custodia ipsos

a) ARVMAEVS exerc. ad ff. disp. XII. thes 9.

b) l. 67. pr. ff. de furtis. l. 3. §. 18. ff. de acquir. vel amit. possess. nec obstar. l. 47. ff. dicti tit. docet MATTHAEI de crimin. tit. de furtis num. 4.

c) l. 71. ff. de furtis.

d) §. 6. instir. de obligat. quae ex del. nasc. l. 5. §. 8. ff. commod.

e) l. 15. §. 2. ff. de furtis.

f) l. 22. §. 7. mandat. l. 7. Cod. de furt.

g) Basilicon lib. LX. tit. XII. l. 33. nec non l. 33. ff. de furtis.



ipſos liberet, in legibus deprehenditur, ſecus autem, ubi per varias fraudes in adminiſtratione bonorum pupillorum, vel minorum patrimonium eorum diminuunt, a) id quod et procedit circa reliquos rerum alienarum adminiſtratores b)

§. IX.

Quum igitur ex adductis appareat, quod ius civile ad furtum verum et proprium non requirat, vt res furtive ſubtractae tempore furti facti in poſſeſſione Domini exiſtant; progrediendum nunc ad iura et mores Germaniae. Et quidem cum cel. Polac. c.) ex conceptu legum, quae nobis ex iuriſprudencia germanica antiquiſſima ſuperſunt, ad furtum verum ſolam attractionem non ſuffeciſſe ſed contrectationem ſupra (§. 3.) deſcriptam ſive ablationem actualem rei alienae requiſitam fuiſſe, puto. De eo autem, vt res, quarum furtum factum eſt, tempore ablationis in cuſtodia et poſſeſſione domini exiſtere debuerit, in hiſce legibus nihil occurrit. Nec obſtant loca in contrarium a quibusdam euocata; vt ſunt: Leg. Baiuarior. tit. VIII. cap. VII. l. 3. item cap. XIV. l. 3. et 4. nec non Ripuarior. tit. LXXVIII. porro: Langobardor. lib. I. tit. XXV. l. 8. et 10. Loquuntur enim de ſociiſ furtum

a) BRVNEMANN. ad diſt. leg. 33. ff. de furtis,
b) l. 81. ff. de furtis

c) in iuriſprud. german. antiqu. lib. III. cap. XI. §. 2.

rum, speciatim de eorum occultatoribus et receptatoribus. Ceterum plures harum legum in fures poenam fat grauem, pauciores tamen capitalem a) statuunt.

§. X.

Medii aevi iura et consuetudines patrias quod adtinet, ius quidem prouinc. Saxon. lib. III. artic. 22. furtum vsus, in iure ciuili fundatum, reiicit, verbis: Wer einen andern leihet sein Pferd oder Kleider zu bescheidenen tagen etc. Dieberey noch Raub mag er ihn aber daran nicht gezeihen, dieweil er es ihm selber geliehen hat. Contra videtur in textu notissimo, libro nimirum II. artic. XXIX. vbi sermo est de rebus, quae per alluuiationem ad aliquem peruenerunt, ad furtum requiri, vt ablata in custodia domini fuerint, et, si res aliter se habeat, fures a poena ordinaria liberari, verbis: Keine Dieberey hat er daran gethan, die ihm an seine Ehren oder an seinen Leib gehet, oder an sein Gesund, dieweil er es nie dieblich oder raublich aus *ienes Gewehren* brachte. Cui adstipulatur speculum Sueuic. artic. CCL. ex editione Goldasti, ibi: Was man einem Manne leihet oder gibt zu gebrauchen offenbar, mag er das bezeugen selb dritt, man mag weder Diebstahl oder Raubes daran gezeihen. In hisce textibus sine dubio se fundat opinio Carpzouii et aliorum Istorum. At enim vero eam inde probari posse,

a) exempla poenae capitalis legimus Baiuarior. tit. VII. cap. VIII, et Ripuarior. tit. LXXIX. in Leg. Burgundion. tit. IV. l. 1. et 2. Saxonum tit. IV. l. 1. 2. 4. 5. 6. et 7.

posse, satis non constat. Verba enim horum textuum de inficiatione et occultatione rerum per vim aquarum allatarum et commodati agunt, nulla autem mentio in iis fit actualis ablationis. Nec ratio adiecta mihi obstat, quippe quae absque dubio ab ipsa dispositione legis separanda nec eandem cum ista vim habet.

§. XI.

Praecipue autem genuinus sensus artic. LXX: constit. criminal. Carol. hic eruendus venit, cuius verba sunt: Welcher mit eines andern Güthern, die ihm in guten Glauben zubehalten und zu verwahren gegeben seyn, williger und gefährlicher weis, dem Gläubiger zum Schaden handelt, solche Missethat ist einem Diebstahl gleich zu straffen. Varias sunt de sensu huius articuli interpretum opiniones. Quidam ut sunt: Remus a.) et Gilhausen b.) vnicie de commodato, alii, et in his Anton. Bullaeus, c.) Bernard. Zieritz d.) Matth. Stephani e.) de deposito et commodato simul, porro Dan. Clasen, f.) Christoph. Blumblacher g.) nec non Dn. Hieron. Christ. Meckbach, h.) de furto vsus siue vsu illicito rei depositae, intelligunt.

§. XII.

a) in paraphr. constit. crimin: ad art. CLXX.
b) ad hunc artic. fol. 57.
c) in annotation. ad nemef. Carol. lin. hoc artic.
d) in not. et obseruat: ad hunc artic.

e) ad constit. crimin. hoc. artic.
f) in commentar. ad dict. artic. constit. crimin.
g) in comment. ad const. crimin. hunc artic.
h) in den Anmerkungen über die peinliche Hals-Ger. Ordn. dict. artic.

§. XII.

At, mea quidem sententia, dictus articulus proprie de commodatario hisce ex rationibus non loquitur, quia verba rubri: von vertrauter oder hinterlegter Haab, item quae leguntur sin ipso textu: in guten Glauben zu behalten und zu verwahren gegeben seyn, de commodato accipi nequeunt, alias verbum: zu gebrauchen adiciendum fuisset. Nec de solo vsu illicito contra intentionem domini agit, quod indicari puto per verba: dem Gläubiger zum Schaden. Vfus enim cautus et modicus nullum affert damnum, adeoque de solo vsu contra pacta hic fermo esse non potest. Mihi potius persuasum est articulum hunc CLXX. si sola quidem verba spectes, de deposito loqui, a.) sin vero rationem eius et intentionem consideres, ad dolosam rerum quarumcunque concreditarum ablationem et interceptionem eum applicandum esse. Quam sententiam et probatissimi amplectuntur commentatores b.) cum hac tamen limitatione, vt tales res supponantur, quae in specie restituendae veniunt. c.)

B 2

§. XIII.

a) BERGER in elect: iur crimin. cap. II. §. X. not. 1. qui artic. hunc excluso commodatario, creditore pignus tenente et aliis de solo depositario intelligit.

b) vt sunt. CLASEN ad artic. CLXX. constit. crimin. BACHOV. ad Treutler. disp. XXX. thes. I. lit. F. in fine. BEYER in delineat iur. crimin. ad artic. dist. CLXX. posit. 10. et

II. GAERTNER. in instit. iur. crimin. ad dict. art. pag. m. 313. KRESS. in comment. ad C. C. C. dist. artic. §. I. not. 1. denique OTTO TABOR in Racemat. crimin. ad nemef. Carol. art. CLXX. num. 1. et 4.

c) KRESS. dicto loc. §. 3. TABOR ad dict. artic. num. 5. BOEHMER. consult. et decis. tom. III. resp. DCCCXV.

§. XIII.

Rationes, quae ad amplectendam hanc sententiam me adduxerunt, sunt sequentes: Nimirum mens imperatoris in hoc artic. CLXX. sine dubio ea est, ut generatim perfida ablatio rerum, a domino alterius fidei concreditarum, coerceatur, id quod exinde apparet, quia non tantum in deposito, sed et in pignore, commodato, locato, cet. alterius fidei aliquid committitur, et par ratio omnium est licet cum hac differentia, ut in deposito sola custodia, in reliquis speciebus usus quidam alteri relinquatur. Quum igitur ratio legis nostrae latius quam verba, se extendat, facile intelligitur, interpretationem extensivam omnino locum habere, et depositum saltim loco exempli adductum fuisse. Hoc insuper indicatur per verbum: *Gläubiger, creditor*, quod ex indole linguae germanicae a.) aeque ac latinae b.) generalem habet significatum & omnes, qui res suas alteri committunt, indicat, adeoque praeter depositum, mutuuum quoque, commodatum, locatum, mandatum cet. comprehendit. Magis perspicuum hoc redditur per verbum: *vertrauter Haab*, vox enim *vertrauen* ad quosuis contractus, ubi fides habetur rerum alteri traditarum, pertinet. c.)

§. XIV.

Poenam huius delicti reos expectantem diserte non exprimit Imperator Carolus V. sed saltim ait: fol-

a) WEHNER in observation. sub voc. *Gläubiger*.

b) L. I. ff. de reb. credit. BRISSON III. artic. II. num. 12. et 13. de V.S. voc. *credere*

c) MEV. ad ius Lubec. P. III. tit. III. artic. II. num. 12. et 13.

solche Mißthat ist einem Diebstahl *gleich* zu straffen
 Haec vocula: gleich obviam fit in nonnullis locis con-
 stit. crimin. adeoque in eius significatum inquiri de-
 bet. Nempe in articulo, nostrum immediate antece-
 dente, CLXIX. legimus: welcher aus Weyhern oder
 Behältniß Fische stiehet, ist auch einen Diebstahl
gleich zu straffen. Porro occurrit hoc verbum in ar-
 tic. CLXIV. vbi constituitur, quod factum eius, qui
 ligna caesa aufert, instar furti, einem Diebstahl *gleich*,
 puniri debeat. In utroque casu, furto scilicet piscium
 et lignorum caesorum, modo de quanto ad furtum
 magnum necessario, certo constet, et reliquae circum-
 stantiae adsint, poena quoque ordinaria furti, ex sen-
 tentia probatorum ICTorum, a.) infligitur, adeoque
 nullum superest dubium, vocem *gleich* in nostro
 textu, non similitudinem aliquam, sed potius iden-
 titatem, vt ita loquar, indicare, et circa fures rerum,
 fidei eorum concreditarum, in eo quoque casu, vbi
 fur res ablatas occasione contractus vel ex alia causa
 iam possederit, poenam ordinariam locum inuenire
 posse. Cui sententia accedunt Otto Tabor b.) Kress. c.)
 Berlich d.)

§. XV.

Nec obiici mihi potest, quod in artic. CLXII.
 nemef. Carolinae legatur: Würde jemand betreten,
 B 3 der

a) STEPHANI ad constit. crimin. artic. CLXVIII. et CLXIX. TABOR in racemat. crimin. ad artic. CLXIX. num. I. et CLXIX. num. 7. KRESS. ad dist. artic. CLXVIII. § 3. et CLXIX. not. I. GAERTNER in institut. iur. crim. ad dict. artic.	b) ad artic. CLXX. praecipue num. 9. in ei. Oper. Vol. II. pag. 281. sq. c) ad ordinat. crimin. eund. artic. §. I. not. 4. d) P. V. conclus. LVII. num. 21.
--	---



der zum drittenmahl gestohlen hätte, der ist auch ein-
nem Vergewaltiger *gleich* geacht. Licet enim ex his-
ce verbis inferri posse videatur, quod per verbum:
gleich, interdum indidentur talia, quae prorsus inter
se differunt, vt sunt furtum tertia vice iteratum et
furtum violentum siue per hominem armis instru-
ctum, perpetratum, adeoque per vocabulum: *gleich* inter-
dum significetur furtum improprie tale. Attamen, ver-
ba haec cum attentione inspicienti cumque antec-
dentibus ac consequentibus conferenti facile patebit,
sermonem hic non esse de omnimoda similitudine, sed
de conuenientia circa vnam vel alteram circumstan-
tiam. Talis autem omnino hic deprehenditur. Fur
enim armis instructus, licet res ablatae aestimatio-
nem 5. solidorum non attingant vel excedant, ta-
men poena capitali est afficiendus, et eadem poe-
na dictari iubetur in dicto textu furi, qui tertium
committit furtum, adeoque conueniunt in eo, quod
vterque, licet quantum furti 5. solidos siue Hunga-
ricos non attingit, tamen laqueo sit puniendus. Hoc
magis perspicuum redditur per ordinat. criminalem
Bambergensem, in qua articulo CLXXXIIX. qui
eiusdem cum dicto articulo CLXII. Carolinae est te-
noris, adduntur verba: Der Diebstahl wär groß oder
klein, mit oder ohn die obgemelten beschwerlichen Um-
ständt gescheen, quae ad mentem articuli dicti clario-
rem omnino reddendam, faciunt, hic tamen omissa, licet
Carolina cum Bambergensi in omnibus fere congruat
et posterior pro prioris matre communiter habeatur.

§. XVI.

Ex hæcenus deductis constare puto, ex mente quoque constit. crimin. Carolinae furtum proprie sic dictum, et poena furti, legibus generatim definita, vindicandum, perpetrari, quoties ablatio rei alienae actualis lucri faciendi causa contigit, nec ad id, quod fur rem subtractam tempore furti commissi custodiae causa vel ex contractu tenuerit, respiciendum esse, etsi, quod fori usum adinet, contrariam sententiam esse receptam, negari nequeat. Inde facili negotio, quid circa quasdam species huc pertinentes statuendum veniat, perspicui poterit.

§. XVII.

Et quidem primo loco occurrit furtum circa depositum perpetratum. Hic merito distinguitur inter depositarium, qui res concreditas aufugiendo secum aufert, cistam frangit vel adhibita vi aut clauibus adulterinis istam aperit, aut cum inficiatione consumptionem et alienationem coniungit; et inter eum, qui depositum duntaxat negat, a) non autem aufert, in proprios usus conuertit, aut, animo tamen restituendi aestimationem, consumit et alienat. Priori casu, quia requisita furti veri adsunt et nec dominium b) nec ciuilibus possessio penes depositarium est, (per §. 5.) ordinaria omnino furti poena obtinere debet, c) si ex sen-

a) l. 67. ff. de furtis
 b) IO. MICH. BEVTHER de iure praelat. inter credit. lib. I. cap. 43.
 c) KRESS. in comment. ad constit. crimin. Carol. artic. CLXX. §. I. not. 4. STRVV. de furib. a poena laquei immun. cap. IV. §. 2. seg. CRAVET.

sensu legum res decidenda venit. At, si de obseruantia fori quaeris, extraordinaria, ultra fustigationem non progrediens poena dictari solet. a) Eadem dicenda de *sequestre* tam voluntario quam necessario, quoniam nec in eum possessio ciuilis transfertur. b) Casus tamen raro contingit, vt sequester furtum committat verum, nisi circa fructus clandestine surreptos et aliorum translatos.

§. XVIII.

De *commodatario* equidem articulus CLXX. toties euocatus epressis verbis non loquitur, ad istum autem propter rationem eius latius quam verba patentem, omnino potest accommodari. (vid supra §. 13.) Nec obest, quod commodatarius rem ex contractu iam possideat et ipsi plus quam depositario, nempe vsus, concessus sit. Possessionem enim absque animo sibi habendi, seu meram detentionem proprie nomen possessionis non mereri, et commodanti potius possessionem manere, iam euictum est. (§. 7.) Adeoque et commodatarius, rem commodatam actu auferens, idque animo furandi, praecipue vbi id facit mediante effractione, vt reliqui fures, puniri potest.

§. XIX.

VETTA tom. I. consil. CCLXXVII. ad nemes. Carolin. dist. artic. STRYK-
num. 2. BERLICH P. V. conclus. in V. M. tit. de furtis §. 17. KRESS
I. VII. num. 21. TABOR ad dict. artic. loco iam alleg.
tic. num. 8. 9. et 10. in ei. oper. Vol.
II. pag. m. 282. et 283.

a) BEYER ad constit. crimin. art. V. num. 115. et 19. a LEYSER
CLXX. post. IO. BLUMBLA CHER. spec. DXXXV. med. 15.
b) GOEDDEVS de sequestr. cap.

§. XIX.

Transeamus ad *nuntios*, *tabellarios* et *aurigas*, quibus res vel pecunia perferenda conceditur. Circa hos, modo actualis ablatio contingit, siue ista facta fuerit absque vi, inficiendo scilicet quantitatem ipsis commissam simulque in alium locum fraudulenter mittendo vel aufugiendo, siue adhibita violentia, veluti effringendo cistam, vel clauibus adulterinis eam aperiendo, poena ex regula in furtum statuta locum omnino habet, a.) idque tam ex mente const. crim. Carol. art. CLXX. quam secundum varias constitutiones prouinciales, e quibus nominasse sufficiat ius Lubec. P. IV. tit. I. art. 7. & constit. elect. Saxon. P. IV. constit. 41. circa fin. nec vllum admittendum est discrimen: pecunia vel aliae res obsignatae vel adnumeratae traditae fuerint nuntio. b.) Secus autem se res habet, vbi iam adductae circumstantiae non adsint, aut si animus restituendi appareat, c.) aut amicus, vel is, qui operas ad transferendam pecuniam aliaque, locare non solet, res commissas interuertit d.) et hoc quoque speciatim con-

tra

- a) PINGIZER quaest. Saxon. I. artic. VII. num. 4. et 5. STRYK XLIX. num. 15. et 18. FETR. THEO. V. M. ff. ad tit. de furtis §. 18. BRVNDOR: in iudic. crimin. cap. II. aphor. NEMAN. ad Cod. leg. 7. de furt. V. num. 5. BESOLD. in delib. iur. num. 5. seq.
- b) MEV. ad ius Lubec: P. IV. tit. I. art. 7. num. 3.
- c) dissentit et animum restituendi non esse respiciendum credit a LEY. pag. 120. HARPPRECHT in decis. SER spec. 535. medit. 14.
- d) BEVTHER de iure praelat. lib. II. cap. V. pag. n. 17. MEV. ad Part. V. cap. XVII. §. 3. num. 3. ius Lubec. P. IV. tit. I. artic. 7. num. 3.

C

tra aurigas, quum eadem ratio adfit, statuendum venit. a.) Adfunt et nonnullae leges prouinciales poenas graues et interdum capitales aurigis perfidis dictantes, e quibus adducam edict. Friederici Duc, Brunfu. Luneburg. de ao. MDCCXXXIX. b.)

§. XX.

Nec aliud dicendum de ministris Postarum, qui communiter sub nomine *Postillons* veniunt. c.) At enim vero et isti et in §§. praecedentibus memorati ex erronea artic. saepius citati C. C. C. interpretatione a poena furum ordinaria ex obseruantia fori semper absoluuntur. d.)

§. XXI.

Progrediendum ad *officiales* et *administratores* rerum et reddituum *publicos*. Hi, quia ad pecuniam ab ipsis colligendam in specie restituendam non tenentur; obligatio autem ad rem in specie reddendam, ex conceptu furti iusto, supra §. 12. in fin. exposito, ad furtum proprium requiratur, sequi exinde videtur, quod isti auferendo, consummando, vel in proprios conuertendo vsus, furtum verum non perpetrent, nec poena, quae ex regula fures expectat, locum hic inueniat, id quod et

a) IOACH. ERNST A BEVST | PRECHT in decis. crimin. IV. num.
tr. vom Post-Regal P. III. Sect. V. 70. seq.
s. 7. pag. 722.
b) in der Zellif. hen Policey-Ord. | d) KRESS ad C. C. C. dist. artic.
§. 2. PETR. MÜLLER ad Struu. ex-
nung pag. 795. | erc. XLIX. aphor. XXV. lit. γ. pag.
c) GEORG. FRIED. HARP. | 790. et 791.

et haud pauci rerum criminalium doctores a.) afferunt. At enimvero, contrarium verius esse, et interdum ad poenam furti ordinariam perueniri posse, puto. Saepius enim conditio administratorum publicorum ita comparata est, vt pecunias acceptas et collectas in specie alteri solvere et restituere teneantur et tunc argumentum adductum cessat. Deinde, tamen si haec circumstantia non adsit, adeoque vt in priori casu omnino fit, crimen peculatus et crimen de residuis coniuncta non sint; tamen tales officiales perfidi interdum poenam merentur capitalem, praecipue, si quantitas furtive ablata magna fuerit, simulque et animus et facultas restituendi deficiat, administratorque fur fuga se subduxerit, quod et quidam Icti b.) tam veteres quam recentiores videntur. Nec desunt rationes et argumenta magni momenti hanc sententiam fulcientia. Ius enim Romanum interceptionem pecuniae pupillaris inter vera refert furta, c.) multo magis igitur contrectatio fraudulenta pecuniae ad rempublicam pertinentis, furtis potest annumerari. Constitutio insuper criminalis, praecipue in saepius citato articulo CLXX. huic sententiae accedit, si non nuda verba, sed rationem legis atque intentionem legislatoris spectes. Praeterea

C 2

respi-

a) OTTO TABOR in racemat. de administr. et peric. tutor. num. 8. criminal. ad C. CC. artic. CLXX. b) BOEHMER in consultat. et de num. II. CLASEN. ad eand. constit. cif. tom. III. part. III. respons. etcund. artic. DCCCXV. num. 33. seq.

b) IUL. CLARVS in pract. rer. crimin. lib. V §. fin. quaest. LXVIII. c) l. 33. ff. de furtis l. 2. §. 1. ff. de num. 30. BYNNEMAN, ad l. 55. ff. tutel. et ration. distrah.

respici debet ad iuramentum a quolibet collectore et administratore reddituum publicorum praestandum et peritrium ex proposito commissum, quando fraudulentè circa pecuniam publicam agitur, nec non, quod difficulter euitetur fraus et interceptio horum hominum. Obseruantia igitur fori contraria, iuxta quam poena laquei semper cessare debet, auctoritati Carpzovii a.) originem, vt videtur debens, sufficientibus destituitur rationibus.

§. XXII.

Adeoq̄ue plures Status Imperii frequentiam huius delicti et difficultates insignes circa euitanda administratorum, quorum fidem sequi, necesse est, furta fraudulentasque contrectationes pecuniae publicae, et damnum exinde publicae rei enatum, considerantes, opinionem de mitius semper puniendis administratoribus publicis perfidis, reiecerunt et poenas graues atque in certis casibus capitalem constituerunt. Id quod, vt ex pluribus commemorare nonnullas tantum, factum est in Saxonia Electorali per constitutionem XLI. et mandat. Regium de ao. MDCCV. von anvertrauem Guthe b.) in terris Elector. Hannover. et Ducatu Wolfenbüttel. per constitut. Henrici Iulii wegen ungetreuer Diener und Botten de ao. 1594. aliaque mandata, quorum contenta explicat Pufen-

a) in pract. crimin. quaest. LXXXV. | b) in codice August. Tom. I. pag. et in inisprud: for. Saxon: part. IV. 1174. constit. XLI. def. 1.

Pufendorfius, a) in prouinciis Brandenburg. praeter edictum de ao. 1683. in nonnullis recentioribus, nec non in Ducatu Magdeburg. per ordinat. politic. Cap. LXXI. §. 4. sequ. In quibus legibus prouinciabilibus poena in certis casibus statuitur capitalis. Supponitur autem vt officiales munus rite atque ingenue administraturos esse, mediante solenni iuramento, promiserint. b.) Alii alias addunt limitationes. c.) Denique [in mandato Sereniss. Duc. Goth. et Altenburg. de ao. MDCCXL. d.) poena vltra condemnationem ad operas publicas, eamque vel temporalem vel perpetuam non extenditur, poenae autem tales ad deposita quoque iudicialia et alias species defraudationum ab administratoribus priuatorum commissas, porriguntur.

§. XXIII.

Circa administratores bonorum ad priuatos pertinentium, nec non tutores et curatores res pupillares intercipientes ius quidem ciuile Romanum dicit, quod tales homines furtum faciant e.) et quod hi, qui in tutela gerenda rem ex bonis pupilli abstulerunt, furti teneantur. f.) At ex fori vsu leuiori semper afficiun-

C 3

ficiun-

a) in Introduc. in proc. crimin. Luneburg. cap. XXIV. §. 52.

b) b. ENGAV. in elem. iur. crimin. lib. I. tit. L. §. 547. num. I. WERNHER tom. I. part. III. obs. 124.

c) quas vid. ap. BERGER. in elect. iurisprud. crimin. cap. II. membr. I. §. II.

d) Sammlung zur Landes-Ordn. des Fürstenth. Altenburg. pag. 438. seq.

e) l. 33. ff. de furtis.

f) l. 2. pr. et §. I. ff. de tutel. et ration. distrahend.

ficiuntur poena quam administratores et officiales publici, nisi leges particulares aliud iubeant.

§. XXIV.

Domestici, sub quibus homines pro certa mercede ad operas praestandas, conductos, intelligo, quibus et iam certo modo accensentur inquilini, quoniam res dominorum ne naturaliter quidem possident nec earum custodia ipsis semper concedita est, eosque insuper praecipuam fidem dominis praestare tenentur, poena furti ordinaria absque dubio affici possunt. a.) Id quod et variae constitutiones provinciales expressis sanciunt verbis. Ita per constitut. elector. Saxon. XXXIIX. P. IV. domestici eadem, qua alii fures, poena afficiuntur. Iuxta mandatum elector. Brunsvico Luneb. de ao. MCCIX. per aliud, anno sequenti promulgatum, b) confirmatum famulis, imperialium aestimationem dominis furtive interceptantibus, et secundum edictum a Landgrauio Hassio-Cassel. ao. MDCCLII. publicarum domesticis quantum 4. Imperial. auferentibus poena capitalis dictatur, de nique interris Borussicis famulos, qui 50. thaleros aut res huius pretii dominis subtraxerunt, poena capitae

a) PETR. MÜLLER, ad Stru- | A FROELICHSBURG, in com-
exercit. XLVIII. aphor. 25. not. 2. | ment. ad ordin. crimin. tract. II. lib.
Modest. PISTOR. obseruat. part. II. | IV. tit. III. num. 12.
quaest. LXIII. num. 13. et 14. BER- | b) harum leg. explicationem vid.
LICH. part. V. conclus. LIV. num. | ap. PUFENDORF introd. in proc.
3. CARPZOV. pract. crimin. part. II. | Luneburg, crimin. cap. XXIV. §. 40.
quaest. LXXII. num. 55. FROELICH | seq.

expectat. a) Hisce autem non obstantibus, plura inveniuntur iudicia, vbi domestici fures a poena ordinaria semper immunes sunt, quam obseruantiam iustis minime niti fundamentis, probat b. a Leyfer. b.)

§. XXV.

Cum domesticis quodammodo conueniunt *Trituratores, Drescher*. Hos vbi furati sunt, a poena furti ordinaria nonnulli absoluunt, c.) et quidem ex duplici causa. Prior desumitur ex principio isto saepius refutato, quod nimirum frumentum eorum custodiae sit commissum. Sed id huc minime quadrat, quia horreum cum frumento ibi recondito possessioni et custodiae trituratorum committi non solet. Altera ratio, quae a dissentientibus adducitur, haec est, quia quantum frumenti surrepti ad euentem vix redigi possit certitudinem. Et haec circumstantia, fateor, sufficiens interdum causa est ex qua poena capitalis plane cessare debeat, quum nec dominus, nec ipse triturator fur de quanto frumenti successiue subtracti, certus esse saepe possit. Quoniam autem certitudo hic interdum adesse potest, hoc casu, et si quantum in lege Carolina requisitum ablatum est, vsque ad suspendii poenam perueniri posse, negari nequit, praecipue, vbi trituratores iuramento adstricti sunt, id quod in praesenti

a) conf. celeberr. Ayer dissert. de furto domest. sect. II.

b) spec. DXXXV. medir. 20.

c) CARPZOV. pract. crimin. P. II. quaest. LXXXII. num. 43. seq. WERNHER. tom. I. part. V. obseru. 103.

fenti aequae ac in aliis casibus poenam reddit grauiorem. a.)

§. XXVI.

Circa *res inuentas*, vel per alluionem ad aliquem delatas, occultatas autem, abnegatas et domino dolose subtractas, leges plures eum, qui talia perpetrat, furti reum iudicant. Ita Augustinus in c. VI. causi XIV. qu. V. dicit: si quid inuenisti et non reddidisti, rapuisti. Ius prouinc. Sax. lib. II. artic. 29. occultantem res, per vim aquarum ad alium delatas et artic. XXXVII. dicti libri. II. res inuentas negantem, furi similem esse declarat. Plures statuunt hoc casu furtum quidem adesse, sed poenam in furtum ex regula statutam, cessare, b.) et hoc quidem communiter non absque ratione, quia nimirum in plurimis casibus actualis contrectatio, siue ablatio deficit, ac sola inficiatio et occultatio adest; quae per superius probata furtum minime efficiunt. Imo licet subtractio rei inuentae actu contigerit, veluti: si inuentor cum re inuenta aufugit aut negando periurium committit, grauior quidem poena, vix tamen capitalis locum habet. Addendum de eo, qui *thesaurum* in fundo alieno inuentum, animo domino istum subtrahendi occultauit, quod is poena non nisi arbitraria coerceatur. c.)

§. XXVII.

a) b. ENGAV. in elem. iur. criminal. L. I. §. 101. num. 3 et 4. IO. KOEPPEN decis. part. I. quaest. IX. num. 3. et 4.

b) ANTON. GOMEZ variar. resolut. tom. III. cap. V. num. 2. PETR. II. cap. XX. thes. 17. CARPZ. iurisprud. for. part. II. constit. LIII. def. 7.

§. XXVII.

sup. De crimine *expilatae haereditatis* hic paucis monendum venit, distinguendum esse inter extraneum, et cohaerem. Prior absque dubio eandem quam reliqui fures, patitur poenam, adeoque ex intentione legis Carol. crimin. praecipue artic: CLXV. ultimo supplicio, vbi furtum commissum fuit magnum, vel violentum, affici potest a.) et ex mente iuris ciuilibus poena arbitraria, ea quoque, quae corpus afficit. b.) Posterior semper leuiori coercetur modo. Nec thesis iuris ciuilibus, quod haereditas inter res nullius sit referenda, et nullus sit haereditatis iacentis possessor, hic, quia de poena propter delictum infligenda quaestio est, locum inuenire potest.

§. XXVIII

Tandem quaeritur vtrum quis furari queat *rem propriam*? Hoc contingere potest, vbi creditor rem optimo licet iure sibi debitam creditori moroso, clam aufert, vel si debitor pignus creditori traditum, nondum exsoluta, mutuo accepta pecunia, creditori surripit. In vtroque casu non adesse furtum proprium adeoque arbitrariam tantum admitti posse poenam, facile

a) KRESS ad C.C.C. artic. CLXV. §. 1. not. 3. ibique allegati.

b) MATTHAEI de crimin. ad ff. libr. XLVII. tit. XII. cap. II.

cile intelligitur, quia posteriori casu dominium rei ablatae ad ipsum auferentem spectat, in priori autem creditori ius repetendi mutuum non deficit, ideoque saltem modus legibus reprobatus adhibitus fuit. Ceterum ius civile, iuxta quod dominium amittit, qui rem propriam alteri subtrahit, (supra §. 5.) hodie non obseruatur. a.)

a) PARLADOR quotid. differe[n]t. XII. §. II. num. 5. CARPZ. crimin. tract. II. lib. IV. tit. III num. pract. crimin. part. III. quaest. 17. seq. LXXXIX. num. 19. seq. FROELICH

A FROELICHSEBURG ad constit.

T A N T V M





X2403646





Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

7

6

5

4

3

2

1

DISSERTATIO IVRIDICA
DE
EFFECTV POSSESSIONIS
ET CVSTODIAE CIRCA FVRTVM
ILLIVSQUE POENAM, AD ILLVSTRAN-
DVM ARTICVL. CLXX. CONSTIT. CRIM.
CAROLI V.

1756, 12
14

1756

QVAM
DIVINIS AVSPICHS
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE ET DOMINO

DOMINO
ERN. AVGVSTO CONSTANTINO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE
MONTIVM ANGARIAE WESTPHALIAE
RELIQVA

IN ACADEMIA IENENSI,
EX
DECRETO ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
PRO LOCO

IN FACVLTATE IVRIDICA
MORE MAIORVM OBTINENDO
AD DIEM XXX. OCTOBRIS A. O. R. MDCCLVI.
PVBLICE VENTILANDAM PROPONIT
PAVL. WILHELM. SCHMID, D.
INSTIT. PROF. PVBL. ORDIN. CVRIAE PROVINCIAL.
ET SCABINOR. COLLEGII ASSESSOR.

IENAE LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.

